

puero regiae stirpis superstite. Vidisses tam barbaram gentem, quae per 20 annos miserè Galliam, Angliam & Frisiam vastarat, Saxoniamque afflixerat, suis se armis confecisse.

Interim Ludovicus Germaniae Rex, inter cetera munificentiae & disciplinae sacrae procurandae argumenta, insigni diplomate Corbeiensis decoravit, eaque, quae à Ludovico patre Imp. Corbejensi & Herivordienfi monasterio donata erant, rogatu Warini Abbatis, confirmavit. Id diploma licet à Cleinsorgio germanico idiomate vulgatum sit, multique ejus meminerint; nemo tamen haecenus ex latino autographo, quod ad fidem integram poscebatur, publici juris fecit. Quare uti cum Ferdinando Episcopo è tabulario Herivordiensium communicatum est, ita hîc integrum reddimus.

*In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis. HLudovicus divina favente gratia Rex. Si petitiones Servorum Dei justas et rationabiles ad effectum perduxerimus, et ad humanam vitam feliciter transigendam, et perpetuam felicius promerendam, procul dubio nobis profuturum speramus. Quapropter notum esse volumus quomodo Venerabilis Abbas Warinus adiit Excellentiam nostram suppliciter orans, ut nostra munificentia prospiceremus monasteriis illi commissis, quorum unum est monachorum nova Corbeia nominatum, ubi et ille primum regulari electione Abbas extitit, et alterum est Sanctimonialium Herifordt dictum, et propriae Abbatissae, cujus nomen Ad-dila, subjectum, sed juxta consuetudinem, quod ancillarum Dei congregationibus procurari solent praepositi ex Ecclesiastico ordine, jam dicto Abbati commendavimus, ut tam in disciplina Abbatissam juvare, quam in cunctis negotiis, quae famulae Christi pro sexu et professione sua exequi non possent, ipsarum provisor et patronus existeret. Is ergo petiit Celsitudinem nostram recordari, quod pia memoriae genitor noster HLudovicus Imperator ambo haec monasteria exstrui jussit, ad normam videlicet praecipuorum in Gallia monasteriorum, Novam utique Corbeiam ad similitudinem antiquae Corbeiae, Herifordense verò cœnobium ad exemplum monasterii Sanctimonialium in Sueffionis Civitate existentium, et ut in elemosinam suam hac totius generis sui institutionem earundem perfectio expleretur, cellam juris sui, quae vocatur Meppia, cum decimis et possessionibus undique ad eam pertinentibus, et ecclesiam Eresburg, quam avus noster Carolus primo exstruens in Saxonia decimis dotavit, circumquaque habitantium per duas Saxonicas raras praefatus noster genitor ad novam Corbeiam tradidit, ad herfordiensis autem monasterii adiumentum dedit, in episcopatu quidem Osnabrugensi ecclesiam bugimthi cum subjectis sibi ecclesiis, in parochia vero mirigerfordensi ecclesiam hreni cum his, quae ad eam pertinent, ecclesiis. Ita sane ut decimarum aliorumque reddituum proventiones praefatis cederent monasteriis, et ab ipsis vicissim procurarentur subjectae plebes in baptismo, in eucharistia, in sepulturis, in confessione peccatorum audienda. Et presbyteri, qui principales*

Ludovicus confirmat donationes factas Corbejensibus & Herivordiensibus.

principales